



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 127. Princeps Condæus Parisiis perhonorifice exceptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. ^{1610.} scriptas receperat, & Beraltus Comes a Regina submissus eidem publicæ securitatis literas tradiderat, sponsione facta, quod Rex & Regina adventus sui desiderio flagrantem eum non sine speciali amoris & benevolentix testificatione essent recepturi. Ad hæc literas mox reposuit Princeps, se in Franciam non alio ex fine rediturum, nisi ut Regi, ejusque Matri integerrima fide serviret.

§. CXXVII.

Princeps Condæus Parisiis perhonorifice exceptus.

*Memoir.
secret.
part. 12.*

Jamjam Princeps Cameraco Peronnam venerat, ibidem a Matre sua exceptus; tandem comitantibus eum plusquam quingentis Nobilitatis primæ Viris lætus die decima quinta Julii Parisios ingrediebatur: Hujus magnificentix splendor, ac immodicus applaudentium júbilus perniciosæ unionis suspicionem Reginæ ingessisse videbatur, cui tamen Condæus immotam fidem, animumque ab omni factione alienum testabatur: Certabant omnes hujus Principis favorem & amicitiam, & quidem pro suo quisque affectu aucupari. Præ ceteris Bullionius Dux Calvinita, cognationis, qua invicem juncti erant, specie

specie, reducem Principem apertius, tantisque verborum lenociniis sollicitabat, ut nisi Regii natales eidem animi constantiam, & ingenuas dotes instillassent, Viro in omnes fallendi artes instructo ipse succubuisset. Primo ariete Dux Condæi Religionem quater aggredebatur, postea Galliam Rectore destitutam, civilibusque diffidiis turbatam repræsentabat, Calvinistarum vires, si Regio Principe suffultæ forent, ostentabat, ad eundem in Regem proclamandum sat validas: dein invitat adducto Patris, Avique exemplo: allicit Calvinianæ Religionis gloria, quam Condææ stirpi hæreditariam vocabat, eamque si amplexus fuerit Princeps, omnes Reformatos statim in ejus obsequium juraturos spondebat: inde vero Regni Regimen injuria ereptum, legitimo Principi restitutum iri, majora deinceps speranda fore proponebat. Verum Condæus fallacia ejusmodi Hæreticorum lenocinia spernere jam edoctus, intrepide reposuit, quod summa ei ratio esset, quæ pro Catholica Religione faceret, ipse autem perduellia ejusmodi consilia detestaretur, proin firmum ratumque haberet, constanter in ea fide stare, qualem Deo, qualem Regi deberet, quamvis enim secum injuriose actum esset, mallet tamen injuriam pati, quam ul-

Sæc. XVII.
A. C. 1610.

N n 4

cifici.

Sæc. XVII. cisci. His rationibus Condæus Prin-
 A C. 1610. ceps pernicioſa hæc eluſit conſilia; ſi
 enim Condæus Calvinianæ ſectæ & fa-
 ctioni nomen dediffet, non modo Reli-
 gio Catholica, ſed univerſum Franciæ
 Regnum, Rege adhuc infante, Prin-
 cipibus diſcordia inter ſe ſciſſis, Secta-
 riis indies numero & potentia creſcen-
 tibus, atque hæreticis in Reges Catho-
 licos innato odio accenſis eo certiore
 fuiſſet expoſitum exitio, quo periculo-
 ſius ab initio non rejectis etiam ejus-
 modi factioſis conſiliis, progreſſu tem-
 poris gravioreſ in Regno turbæ fuiſſent
 fuſcitatæ.

§. CXXVIII.

*Ludovicus XIII. in Franciæ Regem
 Rhemis inauguratus.*

Grammont.

p. 15. l. c.

Calmet Hiſt.

Univ. l. 151.

Rebus in Francia ita conſtitutis de Lu-
 dovico Henrici IV. Filio pro more
 Majorum in Regem ſolemni ritu inau-
 gurando agebatur. Hanc in rem in-
 eunte Menſe Octobri Regina Mater cum
 Filio ſuo, necnon Margaritha Valeſia
 Regina, aliique Regiæ ſtirpis Principes
 unacum Franciæ Paribus ac primaria
 utriuſque ſexus Nobilitate Rhemos con-
 tenderunt. Die igitur decima ſeptima
 ejuſdem Menſis ſex electi Duces, qui
 novo Regi præſto eſſent, & manuum
 ſocie-